



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

8 Vtrum causa efficiens debeat esse simul coniuncta, vel propinqua passo
vt agere possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

frequens) prouenit ex aliqua particulari ratione. Hoc etiam totum patet ex dictis: nam hæc conditio interdum deest, ergo non est per se, & vniuersaliter necessaria ex vi efficientiæ. Igitur, quod ratio agendi, & patiendi subiecto distinguantur, ibi solum necessarium est, vbi actio, vel à supposito distincto, vel per partes realiter distinctas exercenda est, & inde prouenit illa necessitas. Quæ quidem necessitas vniuersalis est in actione vniuersa, ex illo principio, quod idem non possit simul esse in actu & potentia. In actione autem æquiuoca non ita vniuersaliter vrget illud principium, neque aliud quod vniuersale sit, & ideo in diuersis causis ex diuersis principiis oritur, vt explicatum est. Rursus, quod illa principia agendi & patiendi debeant esse re distincta in tota sua entitate, etiam contingat esse in eodem subiecto, & in eadem parte integrali eius, vel ex eo prouenit, quod principia illa sunt substantialia, & propria rerum materialium, nimirum materia, & forma, vel certe, si sint accidentalia principia, præsertim illud, quod est ratio agendi, id prouenit ex eo, quod actio non est immanens, sed ex suo genere est transiens, vt patet in motu grauis, quatenus grauitas consideratur vt principium actuum eius. Et idem à fortiori est in motu cordis, & clarius in motu angeli se mouentis. Præterea quod principium proximum agendi & patiendi, cum nec subiecto, nec entitate integra distinguuntur, saltem differant in re aliqua, quam includit principium agendi, & non patiendi vt sic, inuenitur in quibusdam agentibus actione immanenti, non tamen prouenit ex communi ratione agentis vt sic, vt ex dictis constat, neque etiam ex communi ratione actionis immanenti vt sic, quia nulla est ratio, cur actio immanens vt sic illam distinctionem postulet, imo quodammodo magis erit immanens, si in eodem omnino principio maneat, à quo proximè elicitur. Prouenit ergo ex eo quod talis actio fit per quandam assimilationem, & ideo requirit ultra intrinsecam facultatem, principium proprium talis assimilationis. Atq; ita relinquitur, vt in actione immanente quæ illam assimilationem non requirit, neq; ex alia particulari conditione sua postulat aliquod principium coadiuuans per modum efficientis, sed solum concurrens in genere finis aut formæ extrinsecæ: respectu (inquam) talis actionis non oporteat principium agendi esse in partiali etiam entitate distinctum à principio recipiendi. Et est sanè hic modus agendi satis consentaneus voluntati, tum ob libertatem eius, tum ob communem rationem appetitus, ad quem spectat vt ex sola sua inclinatione & efficacia ferri possit in obiectum sibi propositum. Posset autem hic considerari nonnulla diuersitas, in principio agendi & recipiendi actum appetitus, nam, vt supra dixi, ad actum vitæ concurrunt effectiue & immediatè in suo ordine, non tantum potentia, sed etiam substantialis forma: at vero ad recipiendum actum proximè & immediatè videtur concurrere sola potentia. Sed hæc differentia & est incerta, nā fortasse accidens, & maximè actus vitalis, non solum attingit, inherendo, potentiam accidentalem, sed etiam ipsam substantiam. Et quidquid in hoc asseratur propter alias rationes, propter præsentem causam non est necessariū, quia re vera nullū est inconueniens, quod eadē facultas, quæ est proximum principium suscipiendi actū immanente, sit per se ipsam sufficienter constituta in actu primo, tanquam sufficiens principium proximum effectuum eiusdem actus.

LV. Non desunt tamen nonnullæ obiectiones contra. *Contra præ-* vltimam partem huius resolutionis. Prima ac præcipua sumitur ex Aristotele 9. Metaphys. tex. 2. vbi dicit, *dicta obie-* Potentiam actiuam esse principium transmutationis in alio, vt aliud est: ergo repugnat potentiam actiuam adæquatè esse principium transmutandi se ipsam. Vnde statim subdit, *ctio prima.* Potentiam patiendi esse principium

transmutationis passiue ab alio, in quantum aliud est. Et 5. Metaphysicæ, cap. 11, text. 17. eodem modo definit potentiam agentem & patientem: ergo ex præcisa ratione agentis & patientis requiritur distinctio inter causam quoad principia agendi & patiendi. Vnde Aristoteles de Generat. cap. 7. magnam absurdum existimant, quod idem à se ipso patiatur. Et 1. Metaphysicæ, cap. 3. hoc ponit principium: Neque id, quod subicitur, suam ipsius mutationem efficit: & hoc dicit fuisse initium inueniendi causam efficientem distinctam à materiali. Secunda obiectio, & vulgaris, est, quia idem non potest referri realiter ad se ipsum, sed causa efficiens refertur realiter ad effectum: ergo non potest idem secundum rem agere in se ipsum. Et confirmatur, nam si secundum eandem rem est simul in potentia actiua & receptiua, cur non semper se immutaret? Confirmatur secundo, quia agens debet approximari passo: idem autem non potest sibi ipsi secundum idem approximari.

Ad loca Aristotelis responderi potest primo, in illis definitionibus loqui de potentia pure actiua, & pure passiua, præter eas vero dari quasdam potentias simul actiuas & passiuas: de quibus procedit doctrina data, quando sunt completè actiuæ suorum mutationum actuum. Vnde secundo dicitur, Aristotelem lib. 5. primo Metaphysicæ idem magis declarasse, cum dixit, *Potentiam actiuam esse mutationis principium in alio, aut quatenus aliud est.* Et hoc modo dici potest voluntas, quatenus efficit suum actū, esse principium agendi in se non quatenus actiua est, sed quatenus est in potentia. Verius autem existimo, Aristotelem esse locutū de transmutationibus phisicis, quæ per actionem transeunt sunt, vt latius infra ostendam, tractando de potentia, prout est specis qualitatis. Et de eadem mutatione loquitur Aristoteles in primo de Generatione, disputat enim ibi de illa mutatione quæ ad generationem & corruptionem tendit. Similiter loquitur in primo Metaphysicæ, vbi in vniuersali loquitur, quomodo est euidens materiam & efficiens in generationibus & mutationibus phisicis non concurrere in eandem causam. Ad primam rationem respondetur, relationem realem non esse inter agens & passum, sed inter agens & effectum: & hoc modo, etiam aliqua potentia agat in se ipsam: agit tamè effectum distinctum à se: inter quem & ipsam potest esse relatio realis. Ad primam confirmationem respondetur, si potentia naturaliter agat, ideo non semper agere, quia non semper habet obiectum applicatum, quo indigeret vt coefficiente, sed in alio genere causæ, finalis, vel formalis extrinsecæ: sicut ignis non potest agere sine combustibili, non quia illo indigeat vt coefficiente, sed vt materia. Si autem causa sit libera, etiam si reliqua omnia sint applicata, potest non agere, solū ex naturali perfectione sua. Ad secundam confirmationem respondetur, identitatem esse summam, vel eminentiorem propinquitatem, si alioqui non desit virtus ad agendum, & capacitas ad recipiendum.

SECTIO VIII

Utrum causa efficiens debeat esse simul coniuncta, vel propinqua passo vt agere possit.



Ecce questio tractatur ex professo ab Aristotele de moribus phisicis in 7. phisicæ. c. 2. tamen questio vniuersalior est; ac proprie Metaphysica, completitur enim omnem efficientem causam. Vnde à Theologis tractari solet tam de Deo 1. part. quæst. 8. & in 1. distinct. 37. quam de angelis 1. part. quæst. 52. & 1. distinct. 37. & in 2. distinct. 2. nos autem hic agimus de causis finitis, nam de Deo postea dicemus. Tractatur autem questio de actione transeunte, quia vna res agit in aliam, nam in immanente,

nente, & quodcumque res agit in se ipsam per se primo, id est, secundum eandem partem, clarum est non posse agens a patiente distare: quando vero agit unum suppositum in aliud, vel idem suppositum per unam partem in aliam, possunt esse vel immediate propinqua, vel inter ea interponi corpus aliquod, aut pars corporis, vel spaciū aliquod. Et non est dubium inter Philosophos, quin possit causa efficiens agere in rem distantem per propinquā, sed difficultas est, quando proximē & immediate agit causa per virtutē quam in se habet, & non per aliam, quam diffundit, an oporteat immediate contingere sua quantitatem vel præsentiā, eam rem in quam agit, vel possit immediate in eam agere, etiam si spaciū distet. Cum qua difficultate coniuncta est alia, nimirum, quando causa agit per rem propinquā indistantem, quo modo per propinquā attingat distantem.

Prior sententia referitur, & fundatur.

II. Sunt ergo in hac re duæ celebres sententiæ. Prima est posse efficientem causam agere in passum distans: atque ita non requiri immediatam propinquitatem, sed solum intra certam sphaeram actiuitatis: non est enim dubium, quin virtus finita certum terminum habeat in spacio vel distantia quam potest attingere, quia, ut experientia constat, fortius agit res in propinquum, quam in distans. Maior ergo virtus requiritur ad agendum in rem distantem: cum ergo virtus finita sit, habet etiam in hoc limitatā sphaeram, in quo omnes conueniunt; tamē intra illam ait hæc sententia posse agens immediate efficere in passum distans. Ita tenet Auicenna in suo lib. de Anim. sect. 4. c. 4. in eandem sententiam citans Hippocratem. Item Alexander Aphrodisæus 1. Met. comm. 8. Scotus in 1. d. 37. & ibid. Ocham, & Gabr. Bassol. Maronis, & alii Scotistæ. Quamquam Scot. de causis Physicis facit, nunquam agere in distans per unam formam, vel qualitatem, quin per aliam aliquid agant in propinquum, quamuis necesse non sit, ut per eandem attingant propinquū, & remotum, quod an sit consequenter dictum, postea videbimus.

III. Probatur autem hæc sententia, facta inductione, per omnia genera actionum: Primò in generatione substantiali, Sol generat in terra varia mista, ut mineralia, vel etiam animalia, quæ ex putrefactione generantur, illa autem actio immediate manare debet a forma substantiali Solis, nam accidentia per mediū diffusa, vel substantialem generationem non attingunt, vel ad illam non sufficiunt.

IV. Secundò in motu alterationis videntur quædam esse quæ alterant rem distantem non alterando propinquam. Primum exemplum adduci solet de imaginatione, quæ efficaciam habere dicitur ad inducendam nouam qualitatem, alterando membrum distans, vel rem aliam, ut Auicenna supra ex Hippocrate tradit. Secundum exemplum est de fascinatione oculi, nocet enim interdum oculus, alterando rem distantem, ut de al quarum feminarum oculis testis est experientia, ut Aristot. etiam notat sect. 20. Problem. 34. Alexand. lib. 2. Problema. in 50. Albert. lib. 22. de Animal. capite. 5. Marfil. Ficin. lib. 13. de immortalit. animæ, capite. 4. & de Basilisco affirmat Isidorus lib. 12. Etymolog. cap. 4. olfactu suo necare serpentes, hominem aspectu interimere, & aues volantes quamuis procul distent, lædere. Similia fere refert Plinius lib. 8. histor. capite. 31. ubi eandem vim tribuit Catoblepæ, quod necet hominem oculos eius videntem. & capite. 22. similiter ait, lupo rum visum esse noxium, vocemque homini adimere ad præsens. Tertium exemplum esse potest de Torpedine pisce, qui piscatorum manus à longe stupefacit, & Aristot. lib. 9. histor. capite. 37. ait: Torpedo pisces quos appetit, afficit facultate torpendi, quam in se habet, & Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

ita illos capit, & vescitur, & ad hoc abdit se in arena & limo. Quod est signum, non agere per modum: & ibidem alias similes experientias refert. Idem refert Plinius, lib. 3. 2. cap. 1. ubi expresse ait: Torpedinem id efficere procul & longinquo, etiam si hasta, aut virga non attingatur. Tum exemplum fit de quadā herba nomine Aproxis cuius radix è longinquo concipit ignem, ut refert Plinius libro 24. capite decimo septimo, ubi idem refert de Naphra quodam genere bituminis, de quo idem Plinius libro secundo, cap. 108. Quinto, sæpe contingit, ut res distans vehementius alteretur, quā propinqua: ergo signum est agens sua vi immediate agere in distans, nam per qualitatem, quæ remissa est in medio, non posset intensiorem qualitatem efficere in extremo. Antecedens patet multis experientis, nam ignis vehementius calefacit aquam existētem in lebere, quam fundū leberis, & oleum superpositū in charta papyracea feruere facit multo vehementius quam papyrum, & stupam aliquantulū distantem ita calefacit intensius, quam aerem medium, ut interdū illā inflāmet; & Sol vehementius calefacit speculum aut terram, quā aerem medium. Neque est mirandum, quod agens interdum plus agat in distans, quam in propinquum, si passi dispositio inæqualis sit, Et confirmatur hoc ipsum aliis exemplis, nam Sol clarius illuminat partes aeris, quas per fenestrā attingit aut respicit per lineam rectam, quā eas quæ sint ad latus, seu ad lineam obliquam: ergo signum est non illuminare illas: quæ sunt è regione tantum per partes aeris intermedii, sed immediate per se ipsum. Patet consequētia, quia respectu partium aeris intermedii æque propinquæ sunt, & æque applicatæ aliæ partes aeris, quæ vel è regione Solis sunt, vel tantum ad latus: si ergo illuminatio partium remotarum tantum sit, mediāte parte proxima, æque illuminabuntur partes remotæ, quæ æque vicinæ sunt propinquiori, etiāsi respectu Solis diuersum habeant aspectum, nam illa pars, quantum est de se, æqualiter agit versus omnem partem sibi propinquam. Similis experientia est de manu, vel alia re obiecta igni aut Soli per fenestrā fornacis, v. gratia, quod vehementiorem calorem sentit directe obiecta igni, quam ad latus posita etiam si respectu aeris mediū æque sit propinqua: ergo signum est, ignem immediate attingere manum distantem, si directe opposita sit per medium non impeditum. Cuius etiam signū est, quia si interponatur aliquid, seu claudatur fenestra fornacis, subito cessat vehemens sensus caloris, qui proueniebat ex actione ignis, & tamē medium adhuc retinet totum calorem quem conceperat: ergo signum est, quod actio proueniebat immediate ab igne, & non tantum à medio.

Tertiò principaliter afferuntur experientie de motu locali, qui variis modis fit à mouente corporeo (nā de incorporeo infra dicam) scilicet impulsu, tractu, vectione, & volutione. Et de impulsu quidem afferri solent experientie proiectorum, & grauium & leuium, quorum motus ad pulsionem reducitur, ut notat Diuus Thomas 7. Physicorum, capite secundo. Sed non sunt alicuius momenti, nam proximum principium instrumentale illius motus non solum est propinquum, sed etiā inexistens mobili: ille aut impulsus vel generatione communicatur, de qua, an requiratur propinquitatem, iam propositum est; vel imprimatur per aliquem contactum quantitatum: mouēs enim corporeum non potest à se immediate pellere mobile, nisi illud contingendo: quid autem imprimatur per illum contactum, seu quid sit impulsus, non est hoc loco declarandum: tractatur vero ab Aristotele, lib. 4. Physicor. capite 8. & 8. Physicor. capite vltim. & 3. de Cælo, capite secundo. Et hinc etiam constat, volutionem, cum pulsionem includat, eandem propinquitatem requirere, quam pulsio requirit. De vectione autem per se notum est requirere contactum, cum id quod vehitur, quasi per

M m acci-

accidens moueatur ad modum vehētis. Solum ergo in tractatione afferuntur exempla in fauorem dictæ sententiæ. Primum est de magnete trahente ad se ferrū distans. Secundum esse potest de succino eleuante paleas. Tertiū fere eiusdem rationis est, quod cōmuniter afferri solet de pisce *Remora*, alias *Echeneide*, qui prætereuntem nauim detinet, vt refert Aristot. lib. 2. histor. c. 14. Plin lib. 9. histor. c. 25.

VI.

Quartū fit inductio in actionibus potentiā animæ, nam phantasia existēs in cerebro mouet immediate appetitum, qui est in corde, & appetitus mouet immediatē manus aut pedes. Similiter sensus externus suo actū videtur imprimere speciem imaginatiōni. Neque enim est verisimile, aliquid agere per totū medium, vt v.g. si pes calehit, speciem caloris continue ascendere vsque ad caput, vbi est phantasia, vel sensus communis.

VII.

Quintū fit eadem inductio in actionibus Intelligentiarum, quæ tantum potest esse duplex, scilicet vel localis motio, siue corporis, siue alterius spiritus, vel locutio: quæ tantum est ad rem aliam intellectualem. Hæc igitur posterior actio ex sententia omnium, potest fieri ad rem distantem, vt constat ex Diuo Thoma 1. part. quæst. 89. artic. 7. & 8. & quæst. 108. art. 4. & quæstione de anim. artic. 18. ad 13. & non fit sine aliqua efficiētia, quia per illam angelus, ad quem alter loquitur, accipit facultatem intelligendi quod antea non poterat, nempe cogitationem liberam alterius, non videtur autem posse nouam facultatem accipere, quin aliquid noui in eo fiat. Eo vel maxime, quod non solum facultatem accipit, sed etiam excitatur ad audiendum, non potest autem excitari, nisi aliquid ei imprimatur. Vnde D. Thomas 1. part. qu. 107. art. 1. ad 3. sic inquit, *Sicut sensus mouetur a sensibili, ita intellectus ab intelligibili: sicut ergo per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens angeli ad attendendum.* Sicut ergo signum sensibile non excitat sensum, nisi imprimendo ei aliquid: ita locutio angelica non excitat audientem, nisi imprimendo ei aliquid, v.g. aliquam speciem intelligibilem. Vnde idem D. Thom. qu. de Anima art. 20. ad 11. agens de simili actione, qua Intelligentiæ efficiunt species in anima separata, inquit, *Cum huiusmodi actio non sit sitialis, non oportet hic querere medium deferens situaliter sed idem hic operatur ordo naturæ, indicans hanc actionem non requirere propinquitatem, sed subordinationem.* Similibus enim verbis, similique ratione dixit in 1. p. locutionem angeli non impediri propter distantiam. De altera vero actione Intelligentiæ, quæ est motio localis, & etiam fieri possit ad rem distantem, docent Durandus, Gabriel, Ocham, Scotus, & Heru. in 1. d. 37. Et videtur verisimile ex eodem fundamento, quod angelus ex se non habet situm; neque agit ad modum rei corporalis, sed per intellectum & voluntatem: ergo eius efficiēcia non requirit situalē propinquitatem, sed virtutem voluntatis. Cum enina tantum volendo moueat, quid necesse est, quod ibi substantialiter adsit, vbi mouere vult.

VIII.

*Ratio pro
sententia
præcedente.*

Sexto potest formari ratio in hunc modum, quia virtus actiua creaturæ aliquam habet (vt ita dicam) quantitatem perfectionis: ergo non est verisimile esse ita limitatam, vt non possit per se ipsam immediate agere nisi in puncto aut superficie indiuisibili: ergo potest agere immediate intra aliquam distantiam quantam, vel quantificabilem: ergo potest immediate attingere etiam partes distantes illius sphaeræ, seu spaciij. Declaratur & confirmatur primo hæc ratio, nam cum ignis calefaciat aquam, medio aere solum habet sibi immediate propinquam ultimam superficiem aeris sibi vicini: ergo iuxta oppositam sententiam, in illam solum immediate per se ipsum ager, imo & in illam ager immediate per solum calorem quæ habet in vltima superficie sua: & per superficiem ager in partem immediatam, & per propin-

quorem partem in remotiorem, quasi diuidendo actionem per omnes partes proportionales propinquas & remotas: hic autem modus agendi videtur per se incredibilis, & non parua habere incommoda. Primum ob rationē factā, quia irrationabile videtur omnē agendi virtutē quantūvis magnā coarctare ad ipsūmet spaciū, in quo est agens, vel ad summum ad vltimam superficiem sibi contiguam: nam virtus agendi potest esse maior & minor, & eius efficiēcia non solum consistit in effectu, sed etiam in modo agendi, & in maiori sphaera actiuitatis. Item sumo superficiem aeris proximam igni, & inquirō in quid agat immediate. Dicitur agere immediate in partem sibi propinquam: vnde cum nulla sit adæquate propinqua secundum se totam, consequenter fatendum est non habere immediatum subiectum, vel indiuisibile, vel definite magnitudinis, in quod totum immediate agat, sed tantum agere immediate in propinquum quasi confuse sumptum: hoc autem videtur inconueniens, quod scilicet actio determinata, qua in instanti, verbi gratia, fit a calore, vel lumine, quod est in hac superficie, non habeat determinatum subiectum, in quo per se & immediate fiat. Item, ille modus agendi, quasi enumerando omnes partes proportionales, per has in illas agendo, cum ille infinitus sint, vix appareat intelligibilis, præsertim in actione, quæ non successiue extenditur per subiectum, sed per modum vnus tota simul, & in instante fit.

Tandem confirmatur secundo, quia ex illo principio sequitur, per se loquendo, non habere agentia naturalia sphaeram actiuitatis, nec terminum in illa. Patet sequela, nam si consideretur id in quod immediate ac per se possunt agere, nullam habent sphaeram, sed solum superficiem sibi proximam. Si vero consideretur id totum, in quod possunt agere mediate, per propinquum attingendo remotum, nulla est certa sphaera, neque vllus terminus illius actionis; nam quocunque termino signato ad quem intrinsece perueniat actio, per illum poterit vterius progredi, quia in eo termino est aliqua virtus agendi: ergo illa virtus aliquid ager in sibi propinquum. Dico autem, per se loquendo, nam ex resistentia passibili fieri potest, vt ad illum terminum tam debilis perueniat virtus, vt proximæ partis resistentiam vincere non possit, nec per se, nec in virtute agentis distansissimi: sed hoc est accidentarium ob resistentiam. Quamquam etiam illud difficilissimum sit ad explicandum, scilicet, quomodo qualitas recepta in medio possit vincere in virtute agentis remoti resistentiam partis sibi proximæ, quam ipsa per se, & sua virtute vincere non possit, si agens remotum per se immediate nihil agit in partem remotam per se immediate nihil agit in partem remotam resistentem, sed solum per virtutem receptam in parte propinquiore. Sed de hoc postea, nunc autem argumentum urget, per se loquendo, & ablata resistentia à medio. Atque ita fit, vt Sol possit in instante illuminare aerem in infinitum: quod est plane falsum, quia nunc magis illuminat partem propinquam, quam remotam aeris, vt in lucerna est euident: ergo si nimium extendatur actio, finietur eadem. Adde, quod neque huius effectus ratio reddi poterit: cur enim lucerna minus illuminat partem remotam, quam propinquam, si non illam, sicut hæc per se immediate illuminat? Ex hoc autem capite optime redditur ratio, nam cum potentia sit finita, non æque superat rem sibi vicinam, ac distantem, & ideo maior propinquitatē confert ad maiorem perfectionem actionis at vero fit tantum agit in remotum per propinquum, communicabit parti remotæ totā intensionem qualitatis, quam communicat propinque: quia illa qualitas est actiua sue similis, & pars remotior est capax illius, & est immediate propinqua parti proximæ: signum ergo est non fieri illo modo actionem, sed agens per se ipsam immediate attingere totam sphaeram.

Secunda sententia refertur, & declaratur.

Secunda sententia principalis est, in omni efficiente causa esse conditionem necessariam ad agendum, ut sit propinqua & indistans ab illa re, in quam primo & immediate agit, ita ut si utrumque agens scilicet & passum, quantum sit, sint contigua, & actio incipiat ab ultima superficie in qua se tangunt: atque ita contactus virtutis supponat semper contactum quantitativum: si vero agens sit spirituale, proportionali modo sit propinquum secundum præsentiam substantialem. Hæc est sententia Aristotelis 7. Physicor. capit. 2. & 1. de Generat. capit. 6. quam ubique D. Thom. defendit, præsertim 1. part. quæst. 8. art. 1. & 3. cont. Gent. capit. 68. Quibus locis Cateran. Ferrarientis, & alii Thomistæ. Capreolus in 1. distinct. 37. & ibi Durand. quæstione prima. Et idem significat Richardus art. 2. quæst. 1. Albertus, & alii idem supponunt, cum ex operatione Dei inferant præsentiam eius. Idem Albert. 7. Physicor. tractat. 1. c. 4. vbi Commentator, Aphrodisæus, & alii communiter. Favent etiam huic sententiæ sancti Patres, imo & Scriptura sacra, dum significant, in ipso etiam Deo colligi recte immediatam præsentiam ex immediata operatione. De quo argumento dicemus late, postea, agentes de immanentia Dei. Hæc vero sententia ab Aristotele non probatur ratione aliqua, sed sola inductione, & experientia, quæ satis est sensibus nota, quantum ex frequentibus effectibus sensibilibus esse potest. Erit autem inductio perfecta, si ostenderimus nunquam accidere ut naturalis actio aliter fiat, vel saltem nullo experimento id suaderi posse: hoc autem solutione obiectionum constabit. Atque ita concluditur argumentum, nam modus agendi communis omni agentibus naturalibus in aliqua intrinseca, & naturali necessitate fundatur: sed hic modus per immediatam contactum, & propinquitatem: ergo signum est hanc esse necessariam conditionem omni agentis naturali, ut agere possit.

XI. Ratio autem huius necessitatis a quibusdam redditur, quia sicut res non potest transire de loco ad locum, nisi per medium, ita actio agentis non potest immediate transmitti ad rem distantem, nisi prius attingat medium, & per illud quasi continue perveniat ad distans. Hæc vero ratio apud me inefficax est, quia actio non transit eadem numero ad rem distantem per medium, sicut idem numero corpus transit ad extremum locum per medium: unde non recte dicitur actio transire ad extremum, sed virtute agentis educi de potentia subiecti distantis, in quo, ex vi illius rationis aut similitudinis, nulla apparet repugnantia.

XII. Alii rationem sumunt ex limitatione agentis finiti, quod ob defectum sue virtutis indiget præsentia passivi ad agendum. Et potest hæc ratio confirmari, quia si agens posset agere in distans, eadem ratione agere posset in quacunque distantia, nam si non indiget actione in medium, quid refert, quod passum magis vel minus distet? Sed in primis authores huius sententiæ, & præsertim D. Thomas, non limitat illam ad agentia finita, sed etiam in Deo hanc conditionem requirit: ergo non oritur ex limitatione virtutis. Deinde ex limitatione virtutis ad summum videtur oriri limitata sphaera. Cur autem ex quacunque limitatione virtutis inferri debet tanta limitatio ad proximum & immediatum passum, si ratio efficientis ut sic eam conditionem non requirit? Maxime, quia non omnis virtus est æque limitata, ut superius argumentabamur. Et eadem ratione non apparet efficax limitatio, quæ in confirmatione fit: qui enim negant illam summam propinquitatem esse necessariam simpliciter ad actionem, non negant esse utilem, ut agens optimo modo agat, imo & asserunt esse necessariam, Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

ut agat tota virtute & quantum potest: & hinc putant oriri, ut cæteris paribus, naturalia agentia agant uniformiter difformiter per spacia: atque ita nihil sequitur eorum, quæ in illa confirmatione inferuntur. Nam sine dubio ex ipsis terminis constat, maioris virtutis esse vincere rem distantem, quam propinquam: & eadem proportionem maioris virtutis erit vincere rem magis, quam minus distantem, sicut maioris est virtutis ad distantiorum locum iacere lapidem. Unde Capreolus supra ad octavum argumentum ait, rationem huius non esse fumendam ex aliqua imperfectione aut ordine potentie agentis & recipientis, sed ex eo quod agens est quodammodo actus ipsius passivi, & passum est quodammodo in potentia ad agens: actus autem & potentia ex sua ratione postulant esse indistans, ut nimirum inter se rationem actus & potentie exercere possint. Quæ ratio, licet ad convincendum intellectum protervum non sufficiat, tamen, supposita sufficiente rei experientia, mihi videtur propinquius attingere, magisque indicare propriam causam huius necessitatis. Ut autem hanc rem amplius declaremus, & sententiam Aristotelis defendamus, explicare oportet modos propinquitatis & distantie, & varios modos agendi per propinquum in distans.

Quæstionis resolutio.

Est ergo advertendum, passum posse distare ab agente, quia inter illa mediat spatium omnino vacuum, quod licet naturaliter non contingat, possent tamen ita intelligi, & oportet de illis dicere, qualiter tunc in actione se haberent, quia non parum conferret ad rem explicandam. Secundò, potest passum distare ab agente, interposito aliquo spacio medio non vacuo, sed pleno tali corpore, ut in illud nihil agere posset. Tertiò intelligi potest, quod agens aliquid agat in medium, non tamen per eandem virtutem, ut si in aerem agat per lucem, in terram vero per formam substantialem. Quartò denique intelligi potest, quod passum distans coniungatur agenti per medium, in quod agens etiam operatur, & per eandem virtutem. Hoc autem ipsum intelligi potest variis modis euenire. Primò quod agens remotum immediate solum inferat actionem in passum sibi propinquum, per qualitatem in illud impressam, fiat actio in passum remotum, ita ut habitudo per se & immediate illius actionis, ut est in passo remoto, tantum sit ad virtutem seu qualitatem impressam in partem proximam, ad ipsum vero agens non nisi remote, & in quantum dat vel conservat illam virtutem. Secundò intelligi potest, quod agens agat in remotum, media virtute collata parti proximæ, simul & actualiter influendo cum illa in partem remotam: ita ut nec sine illa, ac per illam possit attingere remotum, neque etiam sola illa, licet ibi conservata, sufficiat ad actionem, quæ sit in parte remota, sine actuali influxu ipsius agentis. Tertiò intelligi potest, actionem agentis diffundi ex necessitate ad remotum per proximum, non necessitate causalitatis proximæ partis passivi in partem remotam, sed solum necessitate ordinis (ut ita dicam) quæ necessitas oriri potest, vel ex parte agentis, quod natura sua determinat sibi hunc modum agendi quasi per lineam non interruptam: vel ex parte passivi, quod applicatum naturali agenti, prius necessario patitur in parte propinqua quam in remota.

Prima assertio.

Primò igitur dicendum est, causam efficientem nihil posse agere in passum distans, si spatium vacuum interpositum sit. Hæc assertio communiter recepta est, ita ut neque authores primæ sententiæ illam negare videantur: nam Scotus etiam si admittat ali-

XIII. Varij modi distantie & indistans agentis ad passum.

XIV. Vacuo interiacente nulla in distans actio.

tat aliquam actionem generatiuam ex materia distante, dicit tamen aliquam aliam actionem debere per medium diffundi, quamuis hoc solum de agentibus naturalibus fateatur. Non potest autem hæc assertio positiua (vt ita dicam) experientia probari, quia nunquam datum est huiusmodi vacuum inter corpora, potest tamen probari experientia (vt ita dicam) negatiua, & prouidentia vniuersalis naturæ, seu potius authoris eius, qui ita res condidit, & talem propensionem seu motionem eis indidit, vt vacuum omnino vitent, etiam si necesse sit propria loca deferere. Huius autem ratio potissima fuisse videtur, vt quædam corpora per alia possent suas actiones exercere, & distantia corpora per intermedia aliorum, & præsertim coelestium corporum influxum participarent. Quod non obscure significauit Aristoteles text. 1. Meteor. dicens. *Necesse est illum (id est, inferiorem modum) summis celi conuersionibus quodammodo (id est per intermedia elementa) proximum esse, vt omnis eius facultas inde constitatur, atque regatur. Nec satisfaciatur, qui dixerit naturam non horruisse vacuum, & tam sollicitè continguitatem corporum procurasse ob necessitatem simpliciter, sed solum ob maiorem commoditatem & vtilitatem. Tum quia tanta naturæ sollicitudo maiorem indicat necessitatem, tū etiam quia verum esset naturalia agentia posse attingere distans absque medio, sepe esset vtilius ad actionem nullū habere interpositum reale medium, quā magis esset expedita sphaera, minusque circa illam occuparetur virtus agentis, iuxta ea quæ statim dicentur.*

XV.

Secundò probari potest alia experientia, quæ licet ex re omnino opposita sumatur, eandem tamen radicem habere videtur, nimirum quod si spacium interpositum inter agens & patiens, aliquo corpore repleatur, quod interrumpat actionem agentis, omnino impeditur actio in passum distans, etiam si aliqui constitutum sit intra sphaeram actiuitatis agentis: ergo eadem ratione si medium esset omnino vacuum, non posset actio agentis transire in passum distans, quia non minus interrumpetur actio per vacuum, quam per illud plenum. Responderi potest, corpus illud interpositum non ideo impedire actionem in vltiora corpora, quia interrumpit actionem agentis, sed quia tota virtus agentis circa corpus illud occupatur (vt ita dicam) vnde sit vt sphaera eius ibi terminetur. Dicunt enim, sphaeram non semper esse eandem seu eiusdem magnitudinis aut distantie, sed iuxta capacitatem aut resistentiam medii. Fieri enim potest, vt corpus pedale propter suam densitatem plus resistat, quam magnum corpus rarum, & ideo in se finiat ac terminet sphaeram agentis. Sed quamuis hæc responsio habere possit aliquam speciem veritatis, quando corpus interpositum vere habet rationem pasci, in quo superado & (vt ita dicam) penetrando, occupatur virtus agentis, tamen, quando corpus interpositum est omnino incapax talis actionis, ita vt ad illud nullo modo applicetur virtus agentis secundum illam actionem, quomodo potest detinere illam, aut agenti resistere ne in vltiora corpora efficiat? Exemplum est in Sole illuminante, cuius actio impeditur interposito in fenestra corpore opaco, quod est incapax lucis, & non resistit illuminationi sui positiue, sed negatiue per incapacitatem, quomodo etiam vacuum dici potest resistere, quamuis ex diuersis principiis: ergo virtus illuminatiua Solis non occupatur quasi comando, & agendo circa illud corpus, sed solum non agit in illud, sicut etiam non agit in vacuum: ergo illud corpus non aliter impedit transitum (vt ita dicam) illius actionis, quā interrumpendo continuationem, & quasi lineam seu radium eius: ergo æquale impedimentum oriatur ex vacuo interposito. Atq; hæc experientia videtur mihi valde efficax ad probandam conclusionem positam, de ratione vero eius inferius dicemus

Secunda assertio.

Hinc dicitur secundò: Quando passum distans ab agente per interpositum reale medium, nihil potest agens efficere in distans passum, si non potest etiam agere in totum medium. Patet manifeste ex dictis. Primò, quia si medium interpositum non esset necessarium ad sustinendam, & quasi deferendam actionem agentis, omnino per accidens se haberet illud medium ad actionem: esset ergo impertinens, quod illud medium esset reale, vel vacuum. Secundo hoc probat experientia de corpore denso interposito, quod solum impedit vltiorem actionem transitum, quia est incapax actionis agentis. Tertiò, quia ratio quam ex vacuo colligebamus, solum erat, quia in eo interrumpitur actio agentis; & hoc erat sufficiens impedimentum actionis: sed hæc eadem interruptio interuenit, quando medium proximum agenti non est capax actionis seu influentiæ eius: ergo. Atq; ita videmus Solem non illuminare terram, nisi illuminando omnia intermedia corpora: quod si aliquando interponitur Luna, quam Sol suo lumine penetrare non potest, actio illuminandi terram non attingit.

Tertia assertio.

Dico tertiò: Vt agens efficiat in passum distans non satis est, vt per aliam virtutem seu actionem omnino distinctam agat in medium, sed necesse est, vt per eandem seu subordinatam virtutem, quæ agit in distans, incipiat agere in medium sibi propinquum, & per totum illum diffundat actionem seu influentiam vsque vt passum distans. Hæc assertio est directe contra Scotum & alios: probatur tamen ex dictis, quia, vt agens agat in distans, necesse est vt prius tempore vel natura agat in propinquum, & continue in totum medium: ergo necesse est, vt illa continuata actio profluat aliquo modo ab vna eadem virtute agentis. Patet consequentia, quia si sunt duæ virtutes, & ab eis dimanant duæ actiones, formaliter sunt ibi duo agentia, quamuis materialiter sit vnum ratione vnius suppositi, vel subiecti: ergo non satis est, quod per vnam virtutem agat in proximum, vt per aliam possit agere in distans. Probatur consequentia, quia illæ actiones tantum concomitantur se habent. & vnanon potest dici per aliam continuari, & sine interruptione fieri. Vt verbigratia, quamuis possit ignis agere per calorem & siccitatem, vt per calorem agat in passum distans, non satis est, quod per siccitatem agat in medium propinquum, quia hoc est per accidens ad actionem caloris vt siq; necesse est ergo vt per calorem agat in propinquum, quia illud est per se necessarium ad continuationem actionis. Imo, licet possit contingere, quod actio vnius virtutis sit necessaria ex parte pasci, vt actio alterius virtutis possit ad illud pertinere, vt verbi gratia si necessaria esset actio, & dispositio siccitatis ad actionem caloris, non satis esset, quod vna virtus prægeret disponendo vt altera immediate ageret in distans, nihil agendo in propinquum, quia illa dispositio est mere materialis, & est impertinens quod proueniat ab alia virtute cōcomitante in eodem subiecto, quia per hoc non fit actio alterius virtutis continue per totum medium, quod tamen esse necessarium ad actionem, ostensum est duabus conclusionibus præcedentibus.

Sunt tamen duo obseruanda. Vnum est, quando dicimus actionem debere esse ab vna virtute, non esse sensum, illam virtutem debere vnam esse formam, vel vnam entitatem, sed debere esse ad æquari principium vnius actionis, etiam si coalescat ex pluribus formis, siue æqualiter agentibus, siue subordinatis. Aliud obseruandum est, cum dicimus actionem in propinquum & remotum debere esse quasi continuationem

Quia cum
in corpora
abborreat
vacuum.

nuatione vnam, non debere intelligi de rigorosa & physica continuatione, qualis est in illuminatione si medium sit continuum, sed satis esse, si sit continuatio secundum quandam subordinationem, & causalitatem. Non enim est necesse, cum agens operatur vsque ad aliquam distantiam, quod in tota illa producat qualitatem eiusdem rationis: potest enim in corpore libi propinquo quandam qualitatem efficere, in remotiori vero diuisam, vt Sol, v.g. in corporibus celestibus quæ sub se habet, producit solū lumen, in aëre vero vsque ad terram producit cum lumine calorem: in terra autem secundum profunditatem eius non producit lumen, sed calorem tantum, & medio calore efficit alias formas. Idem cōsiderare licet in aliis astris, quæ proprias habent influentias, quas vsq. ad penetralia terræ diffundunt, non tamen idem agunt in omnibus corporibus intermedii, sed in vnoquoq. operantur, iuxta capacitatem eius, id quod proportionatū est ipsius dispositioni. Tum ergo, cum qualitates seu termini productioni in diuersis corporibus sunt distincti, nō potest efficiencia diffundi per modum vnius continuæ actionis: necesse est tamen, vt per qualitatem in vicino corpore productam, producat aliam in remoto, & per illam similiter in remotiori, & hoc modo dicitur continuari actio per subordinationem & causalitatem. Cum enim necesse sit actionem continue fieri per modum vnius, vt in assertionibus ostensum est, & non sit necessaria continuatio in eadem specie actionis vel qualitatis, necesse est vt sit per emanationem vnius ab alia; alioqui nullam connexionem habebit actio quæ fit in distans, cum actione quæ fit in propinquum, sed omnino per accidens se ambæ actiones habebunt, quod fieri non posse probat ratio facta in tertia assertio.

Quarta assertio.

XIX. Deo quartō: Quamuis necesse sit, vt causa efficiens sit propinqua & indistans a passo, in quod primum agit, non est tamen certum, quod semper agat per propinquum in distans, tanquam per instrumentum seu virtutem agendi, sed probabile est interdum agere in totū aliquod passum immediate per suam propriā virtutē, & similiter, quādo agit per propinquum vt per instrumentum in distans, nō est necesse, vt agat per illud tanquam per instrumentū separatum in causando, sed tanquam per cōiunctū, ita vt simul cum virtute per medium diffusa, influat immediate ipsū agens vnica & eadem actione. Prima pars est ipsa conclusio Aristotelis, & communis sententia, quam defendimus: & preter eius inductionem probatur manifeste ex precedentibus assertionibus & probationibus eorum, quibus ostensum est non posse agens diffundere actionem suam vsq. ad rē distantem, nisi per modū vnius actionis nō interruptæ: ergo necesse est vt inchoetur actio a passo omnino vicino, & indistante, alioqui à principio inchoaretur interrupta. Atq. hoc non parū confirmant aliquæ experientie, quibus videmus agens per se tantū intendere actionem in remotum, & nihilominus nō exercere illā nisi per mediū, quamuis illa actio, prout fit in medio, sit prorsus inutilis, nisi ad hoc saltē deferuatur, vt per illam deferatur actio in passum distans, in quo agens habeat effectum per se intentū, v.g. obiectum visibile non diffundit species ad oculum nisi per mediū. Cuius rei nonnulla sunt euidentia signa: vnū est de speculo, in quo fit reflexio specierum, quæ etiam fit in aqua: non posset autē fieri, nisi vsq. ad illa corpora multiplicarentur species. Aliud est quæ iuxta dispositionē medij, vel perturbantur, vel cōmōde deferuntur species. Item, est illud supra tactum, quod quacunque ratione aliqua pars medij sit incapax specierum, impeditur actio, ne ad oculū perueniat. Hæc autem actio specierum per se & ex intentione nature tota ordinatur ad oculū, quia in illo solo possunt species habere effectū, ad quem institutæ sunt: esset ergo inutilis talis actio specierū in medio, nisi esset necessaria, vt per illam posset actio peruenire ad oculū distantem: ergo signum est propter hanc necessitatem, talem fieri actionem. Idemq. iudicium ferendum est de omni simili actione, etiam si tam certis experimentis non innotescat.

Ex his ergo omnibus colligo, naturalem modum agendi causæ efficientis esse quasi per continuatā lineam suæ actionis à proximo in distans. Atq. hæc deberet esse ratio sufficiens conclusionis suppositis experimentis adductis, etiam si alia ratio deesset, quia nimirum hæc causa determinat sibi ex natura sua talē agendi modum. Sepe enim ita iudicamus de naturis rerum ex his quæ experimur, etiam si vltiorem rationem illius naturalis conditionis reddere non valeamus. Vt v.g. obiectū visus solum multiplicat species per lineam rectam: obiectum autē auditus etiā per obliquam, & per quoscunque poros ingreditur, vt experientia constat, ex qua recte colligimus hunc esse naturalem modum agendi talium obiectorum: cuius sufficiens ratio est, quia talis proprietas consequitur naturam vtriusque sensus. Conamur tamen huius nature aliquam rationem inuestigare, dū dicimus sonū esse qualitatem quandā consequentē motum, & imitantem naturā eius: & ideo per quascūq. vias ingredi posse: calorē vero magis quieto & subtiliori modo agere, & ideo solū via recta species diffundere. Sic ergo in presenti, si velimus rationē aliquam vel coniecturam illius naturalis conditionis agentium inuestigare, certe non est contemnenda illa quæ à Capreolo tacta est: nam omnis actus requirit coniunctionem cum potentia vt suam causalitatem in illam exerceat: sicut ergo in actu formali requiritur intima vnio, ita actus efficiens requirit saltem indistantiam non ob imperfectionē, sed potius ob perfectionē quam includit ratio actus, seu actuationis. Vel si hoc referendū est in alā imperfectionē, illa sumenda est ex parte effectus, qui, cum sit dependens à sua causā, postulat coniunctionē & indistantiā ab illa, vt ab ea manare possit, sicut riuius requirit coniunctionē cū fonte vt ab eo manet. In quo etiā potest latitudo quædam considerari iuxta varias causarum perfectiones: nam causæ & effectus corporales, non possunt secundū se tota esse sibi immediate presentia, vel indistantia, & ideo appropinquantur saltem secundum extrema. Res vero spirituales create secundum se totæ coniunguntur, seu presentes sunt effectui aut passo, quamuis nō semper necesse sit esse intime presentes toti passo, omnibus partibus eius, possunt enim adesse vni parti, & per illam agere in totū: quomodo Intelligentia mouens cœlum, existimatur esse in Oriente: At vero Deus vbicūq. agit, totus & in toto adest, nō solū ex immensitate, sed etiā ex perfectione agendi, vt infra suo loco videbimus. Dixi autem hunc modum agendi, inchoando actionem à passo indistante, esse connaturalem efficienti, quia nunc nō disputamus, an Deus supernaturaliter possit hūc modum agendi immutare. Credimus autem id non repugnare diuinis instrumentis, etiam si nulli agenti creato possit esse connaturalis: de qua re dixi in 1. tom. 3. part. disput. 31. sect. 7.

Atque hinc vltius intelligi potest, ex necessaria propinquitate inter passum & agens, non statim inferri necessarium etiam esse, vt agens per propinquam partem medij agat in remotam tanquam per instrumentum, satis enim erit, si agat per illam vt per medium necessarium ad continuationem actionis, seu vt actio sine interruptione fiat, quia neque experientie, neque rationes hactenus adductæ plus probant. Quocirca quando actio per medium variatur in proximo passo & remoto secundum varias qualitates & terminos actionis, tunc certe necessariū videtur, vt virtus diffusa in medio

XX.

Illatio ex omnibus dictis.

XXI.

Mm 3 propin-

propinquo, sit instrumentum ad agendum in remotum, ut nuper dicebamus, quia alias nulla esset continuatio nec subordinatio per se inter alias actiones. At vero quando actio est tota eiusdem rationis in parte proxima & remota medij, non videtur per se necessarium, saltem ex vi propinquitatis necessarii inter passum & agens, quod pars propinqua sit instrumentum ad agendum in remota: quia illa actio per se habet suam continuitatem & integritatem, quæ ex naturali modo operandi talis causæ necessaria est, ut ostendimus. Dixi, quantum est ex vi propinquitatis necessaria, nam si qualitas diffusa per medium sit actiua sui similis, ex natura rei sequitur ut existens in parte propinqua, possit iuuare ad agendum in remotam: siue per modum instrumenti, siue per modum partialis agentis: hoc tamen potest esse quasi per accidens, & solum concomitans ad actionem primi agentis.

XXII.

Quapropter si contingeret qualitatem diffusam per medium non esse actiuam sui similis, tunc non oportere partem proximam esse instrumentum, sed tantum medium ad actionem. An vero ita aliquando eueniat, mihi non est certum, non video tamen repugnantiam ex vi eius conditionis necessariæ ad agendum quam nunc tractamus, scilicet, propinquitatis. Possetque esse exemplum in obiecto visus, nam videtur ita multiplicare species per medium usque ad sensum, ut species recepta in medio diaphano non sit effectiua sui similis, quod inde probari videtur, quia ultra certam distantiam obiectum non potest speciem sui efficere: quod non accideret si species in medio recepta efficeret sibi similem. Quod argumentum in fundamentis primæ sententiæ tactum est, & in responsionibus videbimus, quam sit efficax. Aliud exemplum esse potest de impetu qui imprimitur lapidi proiecto, nam contactus proiectis tantum est in vna parte lapidis, & tamen impetus non recipitur in sola illa parte, sed in toto corpore proiecto: neque etiam pars impetus impressa illi parti efficit aliam similem in parte vicina, tum quia impulsus non est effectiuus alterius impulsus, sed motus localis tantum, sicut grauitas non est effectiua grauitatis, sed localis motus, tum etiam quia impulsus non imprimitur nisi per contactum fortem: vna autem pars non potest hoc modo contingere aliam sibi continuam: videtur ergo verisimile impetum imprimi toti mobili, & omnibus partibus eius immediate a proiectante, medio contactu in sola vna parte eius. Quidquid vero sit de specialibus exemplis, tamen, in communi loquendo, ad saluandum illud axioma de necessaria propinquitate inter agens & primum passum, non cogimur dicere esse necessariam efficientiam vnus partis passu in aliam. An vero aliquæ experientie vel rationes satis ostendant eam efficientiam non semper intercedere, aut non esse per se necessariam, videbimus, tractando argumenta primæ sententiæ.

XXIII.

Medij partes proximæ quæ agunt non agunt in remotum sine illius ope.

Denique hinc etiam ex parte pendet vltima pars assertionis, nam etiam si partes medij proximæ agant in remotas, videtur experimento probari non agere sola virtute in se recepta, neque omnino destitui a reali influxu primi agentis, alioqui non tam esset vehemens actio eiusdem medij in quibusdā partibus, & tam remissa in aliis æque sibi propinquis, in æqualiter vero applicatis respectu primi agentis, quod in solutionibus argumentorum presius examinandum est. Nunc vero solum dicimus ex hac propinquitate & conditione necessaria ad agendum quam nunc tractamus, non sequi agens tantum agere in partem distantem per virtutem receptam in parte proxima, ut per instrumentum quasi separatum in causando, id est, per se solum agens absque actuali influxu principalis agentis, tum quia neque id est necessarium, ut passum sit absolute propinquum agenti, a quo emanet actio continue & sine interruptione: tum etiam, quia tunc ex ipso agente & virtute recepta in medio

quasi componitur vnum integrum agens, quod contingit alteram partem, & ideo potest in illam agere per totam suam virtutem. Quod declaro hoc similia, nam quado ignis calefacit aërem sibi propinquum, non agit in illum per solum calorem quem habet in vltima superficie qua contingit aërem, nec per solum aliquam vicinam partem, etiam si fingatur in quacunque quantitate, quæ non nisi mere gratis determinari potest: agit ergo immediate per totum calorem, quæ in se habet, & in omnibus suis partibus, (suppono enim omnes esse intra sphaeram actiuitatis) & tamen non omnes partes ignis agentis sunt immediate propinquæ aëri patienti: at vero quia in omnibus coalescit vnum agens, quod per suum terminum contingit aëri patienti, id satis est ut omnes illæ partes per modum vnus integri agentis immediate influant in passum. Idemque esset si duo ignes inter se discontingui, eisdem parti passu applicati essent, ita ut ab utroque simul per modum vnus integri agentis vna actio maneret, ergo similiter intelligi potest quod agens coniunctum primæ parti passu iam affectæ sua qualitate per modum vnus agat, & influat in alterius passum, siue concurrant ut duo agentia partialia, siue ut principale & instrumentale agēs. Sed hæc omnia in responsionibus ad primam sententiam magis elucidebuntur.

Argumentorum solutiones.

Ad primam ergo experientiam de substantiali generatione communis responso est, accidentia quæ proximè adsunt, efficere substantialē generationem in virtute formæ substantialis, quamuis illa distet. Quæ responsio habet difficultatem, & est, scilicet, quia licet accidentia possint esse instrumenta ad efficiendā substantiā, non tamen possunt esse sufficientia principia, si sint separata quoad causalitatem. Et ideo si forma substantialis longe distans nullo modo potest cum accidentali virtute actu influere ad generationem substantiā, non potest per sola accidentia esse sufficiens principium talis generationis. Quapropter probabiliter dici potest illam virtutē instrumentale diffusam a celo usque ad locum terræ in quo fit generatio substantialis, non agere ut virtutē separatā, sed ut coniunctam in causalitate: & formā cœli actu influere cum illa, si alioqui effectus non superat in perfectione ipsam formam cœli. Nec inde sic celum agere immediate in distans, quia non agit nisi ut coniunctum virtuti suæ per medium diffuse usque ad passum distans. Dices: Forma cœli & virtus accidentalis eiusdem cœli sunt diuersæ virtutes agentis, sed tota alteratio præcedens fiebat a celo media virtute accidentali tantum: ergo illa non sufficit ut forma cœli possit postea influere media sua forma substantiali ad generationem substantialem alterius. Respondeo, formam & virtutem accidentalem ipsius cœli non esse duas virtutes solum concomitanter, & quāsi per accidens coniunctas, sed esse subordinatas ut principale & instrumentale principium: & ideo, quamuis forma substantialis attingat generationem, quæ fit in distanti loco, non agit formaliter ac proprie in distans, quia media virtute sua illi coniungitur. Eritque hoc facilius & clarius, si quis teneat formam substantialem cœli non solum concurrere per se ut principium principale ad educationem formæ substantialis, sed etiam ad præuiam alterationem, quod supra diximus esse probabile. Quod si fortasse alicui hoc non placet, necessario dicendum est celum solum concurrere instrumentaliter ad has generationes per virtutem accidentalem diffusam per medium iuuari autem ad has generationes perficiendas ab aliquo superiori agente.

(.)

De alteratione corporis per imaginationem.

AD secundum de alteratione negatur assumptum, nimirum aliquam causam alterare rem distantem, non alterando propinquam. Et ad primum exemplum de imaginatione respondetur, aut esse sermonem de corpore ipsius animalis, cuius est phantasia, vel alterius: loquendo de alieno corpore, nego alterius phantasia habere vim alterandi illud: neque haec tenus vilius probabile experimentum allatum est, quod id ostendat: neque ex vi rationis est verisimile, quia actus imaginationis est immanens, & non est unde habeat virtutem ad naturaliter alterandum alienum corpus. Si vero sit sermo de proprio corpore ipsius animalis, quod imaginatione operatur, dicendum est imaginationem non mouere corpus, nisi mediante appetitu sensitivo, ad cuius motum excitantur humores, & spiritus vitales, quibus mediantibus alteratur corpus. Motio autem appetitus per imaginationem non est alteratio, sed vitalis quaedam affectio, de qua inferius dicam. Appetitus autem, cum sit in corde, quod est principium motus animalis, & spirituum vitalium, facile poterit huiusmodi motum vel alterationem excitare, nihil agendo immediate in distans, sed mediantibus partibus propinquis: quantumvis etiam in illa motione intercedat specialis ratio, eo quod fiat per naturalem sympathiam potentiarum in eadem animae radicatarum, ut infra dicetur, & latius traditur in libris de anima, & in 1.2. q. 22. & attingit D. Tho. q. 26. de verit. art. 6. ad 11.

De fascinatione.

AD secundum exemplum, sunt qui negent illam vim fascinationis. Sed non est cur experientiam a Philosophis, & Medicis comprobant, & fere communis sensu receptam negemus. Fatemur ergo fascinationem naturaliter accidere: modum autem eius declarat Diuus Thomas 1. part. quaest. 117. articulo 3. ad 2. & 3. contra Gentil. capit. 103. Et in primis dicendum est, fascinationem non fieri ipso actu videntis tanquam principio quo fit alteratio in aliud, quia actus immanens, ut supra dicebamus de actu imaginationis, non est per se actius in aliquem. Deinde dicendum est alterationem illam fieri ab aliqua qualitate venenifera existente in oculo, aut in interna corporis dispositione, & complexione, aut humoribus, quae communicatur spiritibus vitalibus, qui imaginatione, & attentione animi commouentur, & ad oculos perueniunt. Rursus hinc fit, ut mediis illis spiritibus aer proximus inficiatur, & vsque ad certam distantiam alteratio perveniat, & sic noceat alteri, quantumvis aliquantulum distet. Et fortasse interdum fit, ut ipse spiritus inficiatur vsque ad illam personam in quam intuitus directe figitur, emittantur: & ita facilius & vehementius noceant: & Aristoteles supra significat interdum fieri fascinationem ipso statu corrupto, & vsque ad aliam personam transmissio. His ergo modis potest naturaliter fieri fascinatio absque immediata actione in distans. Omitto (quod D. Th. supra advertit) interdum accidere huiusmodi nocuum ex malitia demonum, qui ex pacto occulto cooperantur ad huiusmodi damnum inferendum. Advertit etiam D. Thom. hanc alterationem facilius accidere in infantibus & pueris, quia ob tenerum corpus quamlibet externam impressionem facilius patiuntur. Plura de huiusmodi actione legi possunt in Plinio libro septimo, capite secundo, & libro 33. capite 10. Abulensi paradox. 4. capite 16. Richard. quodlib. 3. quaest. 12. Idem servata proportionem dicendum est de quocunque nocuum quod a ve-

nenatis animalibus inferitur, vel aspectu, vel olfactu. Et idem est de tertio exemplo Torpedinis, de qua expresse Plinius ait, quod odore, & quadam aura sui corporis afficit membra: non ergo immediate agit in distans, sed vel alterando medium, vel etiam noxiū aliquem vaporem spirando. Nec refert quod, sub arena aut limo se abscondere dicatur, quia non est necesse ut intelligamus omnino delitescere sub terra, ita ut vel caput, vel os non relinquat apertum ad nocendum.

Possitne agens intensius agere in distans quam in propinquum.

IN quarto & quinto exemplo declarandum est, an & quā ratione contingat agens vehementius agere in rem distantem, quam in medium propinquum, & an tunc illa vehementior alteratio fiat immediate in distans sine cooperatione medij. Et quidem Aristoteles sect. 24. Probl. qu. 5. & 8. advertit, cum aqua in vase calefit in initio calefactionis: dum aqua adhuc est frigida, fundum vasis sentiri calidius: postea vero iam aqua fervescit ita ut manum vrat, fundum vasis esse magis temperatum, ita ut manu sustineri possit. Rationem vero assignat, quia in principio actionis, dum aqua frigida est, totus calor concluditur in fundo vasis, neque ascendere permittitur, at vero quando aqua iam est calidior, quasi permittitur respirare calor & ascendere, & inde fit ut fundum lebetis temperetur. Ob quam causam dicit ibidem, balneas calidiores esse hyeme quam aestate. Atque inde consequenter fit, ut actione procedente & aqua nimium calefacta, & calefactione rarefacta, calidiores partes sursum ascendant, & crassiores ac frigidiores descendant deorsum, & inhareant fundo vasis, & illud temperent, & ideo minus calidum censeatur. Hic autem nomine caloris non est intelligenda sola qualitas aut accidens caloris: hic enim neque ascendere aut descendere potest, neque detineri ne ascendat, nisi ratione subiecti: sed intelligenda sunt exhalationes seu vapores calidi, qui actione ignis excitantur. Neque enim potest ille ascensus vel descensus metaphorice tantum declarari, id est, quod dicatur calor impediri ne ascendat, solum quia passum resistit ne calefactio ulterius progrediatur versus superiorem partem. Nam hoc sensu, nullius momenti esse: ratio, nimirum fundum lebetis in principio esse calidius, quia tunc calor impeditur ne ultra ascendat, nam quod actio ultra progrediatur, per se nil impedit, quo minus illa pars inferior aequae calida maneat, ut per se notum est. Oportet ergo intelligi proprie de aliquibus exhalationibus calidis, quae dum detinentur ratione proximi corporis nimium frigidi & densi, faciunt ut calor illius partis, & maior sit, & vehementius sentiat, dum vero, calefacto proximo corpore, & consequenter rarefacto, ascendere permittuntur, minor calor in illa infima parte sentitur: maxime quod in poris, ubi illae exhalationes erant, loco illarum succedunt frigidiores partes aquae, quae, ut sunt graviiores, ita naturaliter magis descendant: & ex eo capite magis etiam temperatur ille calor.

Ex hac vero ratione Philosophi sic exposita, facile intelligitur, ex hac experientia non haberi agens intensius agere in propinquum, quam in distans, nisi transmittendo aliquod agens proportionatum, quod illam intensiorem proximè efficiat. Nam in dicto exemplo, dum in principio actionis fundum vasis nimium calefit, id provenit ex igne vicino, & ex ignitis vel calidis exhalationibus in ipsiusmet poris fundi inclusis: dum vero, procedente actione, superiores partes aquae calidiores videntur, id provenit non solum ab igne remoto, quantumvis eius actio multum iuuet, sed etiam ex vaporibus calidioribus ascendentibus, & penetrantibus aquam ipsam, & ob hanc causam vehementius illam

M m 4 cale-

XXVII.

Fundum lebetis cur frigidius quam superius aqua superposita

XXVIII.

calefacientibus. Accedit etiam, quod aqua ipsa, dum incipit prope fundum valis magis caleretur, statim ascendit leuor effecta: descendit autem, quæ superius erat grauior & frigidior: & ita fit, vt pars distantior aquæ sit calidior, non quia ita distans, magis sit calefacta, sed quia prius fuit propinqua, & ibi magis calefacta. Nunquam vero illa pars aquæ, quæ proximè infidet fundo valis, vehementius calefit, quam ipsa summet vas, seu fundum eius, per quod actio transmittitur, nisi fortasse in fine actionis, quando iam omnino superatur aqua, ita vt contingat totam exhilari & corrumpi. Quod inde provenit, quod ratione fug humiditas facilius in aërem, vel in aliquod minus densum imperfectum commutatur. Item, quia cum sit minus densa, quam vas, facilius eam penetrant vapores seu exhalationes calidæ ascendentes. Iuvat etiam, si quis est aër circumfus. Atque ita semper rota actio & intensio eius fit per aliquod medium.

XXIX.

Papyrus cur minus calida quam eleum superius sit.

Stupa cur inflammetur aëre in superius iam ignem in se habente non inflammato.

XXX.

Obiectio respondetur.

Ad eundem modum dicendum est ad similes experientias supra adductas, nimirum de oleo, quod vehementius videtur calere, quam papyrus, quæ mediante calefit. Nam oleum statim ac incipit caleferi, facile etiam rarefit, & penetratur à vaporibus ascendentibus, & ipsum etiam subtilius & lenius effectum statim ascendit: crassiores autem & humidiores partes descendunt atque ita idem accidit in hoc exemplo, quod in superiori. De stupa autem, quod inflammatur per interpositum aërem, ipso aëre non inflammato, non ita est manifestum experientia: fortasse enim aër inflammatur prius, licet non ita sensu percipiat, sicut in stupa, propter huius densitatem. Atque idem dici potest ad exemplum de radice herbæ *Apraxia*, & de bitumine *Naphtha*.

Possit vero aliter responderi, admittendo, quod in argumento assumitur, inflammari aliquando materiam remotam, non inflammata proxima: & dicendo id provenire ex dispositione materiæ absque intensiori actione ignis in remotum, quam in propinquum. Quod declarabitur facile, si supponamus non esse necessarium vt in aliqua materia summus calor antecedit vt flammetur, sed sufficere vt antecedit calor intensus in eo gradu, cum quo & forma stupæ verbi gratia, conseruari non possit, & si illi sit adiuncta sufficiens siccitas, satis disponat ad introductionem formæ ignis. Sic ergo fieri potest, vt aër medius sit calidus vt septem, & non inflammetur ex defectu siccitatis, stupa vero statim ac peruenit ad illum gradum, inflammatur: atque ita actio ignis calefacientis nunquam fuit intensior in materia remota, quam in propinqua, sed habuit alium effectum propter aliam passivam dispositionem. Dices, in illo instanti, in quo inflammatur illa materia, iam est calida vt octo. Respondeo, si ita est (non est enim certum de primo instanti) tamen id non provenit ex sola actione ignis distantis, sed est per naturalem resultantiam à forma iam concepta. Quæ resultantia, si non superest aliqua resistentia in materia, in momento fit: atque ita fieri dicendum est, si ponamus, omnia accidentia in corruptione perire. Si tamen manere potest aliquis gradus contrariæ qualitatis, interueniet aliqua successio, breuissima tamē & imperceptibilis, quia resistentia est minima, & actiuitas magna. Sed quid de actione ipsius formæ substantialis, quæ fit in distantia materiæ, & non in medio? Communiter dicitur fieri per naturalem resultantiam, supposita sufficienti dispositione: vel fieri à dispositionibus accidentalibus, ibi existentibus, in virtute substantiæ. Nobis autem respondendum est iuxta primam assertionem, vel formam ignis simul cum virtute sua posse illuc attingere, & simul influere ad educationem illius formæ: vel certe, si hæc vim non habet substantialis forma, necessarium esse vt per aliquam superiorem causam ille concursus suppleatur, sicut quando contingit rem aliquam per motum ita cale-

fieri vt inflammetur, introductio illius formæ alicuius causæ vniuersali tribuitur.

Alius modus respondendi ad has experientias esse potest, admittendo, posse agens intentius facere aliquid, quam qualiter in passum distans, quam in propinquum, non tamen immediate agendo in distans, sed per medium. Hic tamen modus actionis dupliciter concipi potest. Primo, vt medium non deseruiat tanquam coëfficiens instrumentale, aut partiale ad agendum in remotum, saltem quoad illum gradum maioris intensificationis, qui fit in parte remota. Hic tamen dicendi modus non est satis cōsequens ad opinionem, quam defendimus: nam plane sequitur, illam actionem quatenus est intentio in tali gradu, fieri ab agente remoto immediate in passum distans, absque vlla actione circa medium vel per medium: quia actio remissa, quæ fit in medio propinquo, per se non confert, nec continuatur cum actione in distans, nisi ad summum, vsq; ad similem gradum: ergo illa intentio maior quæ fit in distans, est actio immediata in illud sine medio. Sic, si totum medium & passum distans, prius essent calida vt quatuor absque actione ignis: & deinde ignis applicatus, immediate intenderet illum calorem in distante passo, & non in medio, sine dubio illa actio esset immediata in distans: ergo idem erit: etiam si calor vt quatuor factus sit ab eodem igne. Alio ergo modo intelligi potest, quod agens per virtutem impressam in medio efficiat intensiorem qualitatem in passo remoto, quam in ipso medio, propter maiorem capacitatem seu dispositionem, & minorem resistentiam. Hæc autem virtus esse potest aliquando qualitas diuersæ rationis ab alia quæ intenditur, & tunc non est res difficilis, vt in exemplo supra posito de speculo & aëre calefactis à Sole, quia illa calefactio fit medio lumine, accidere potest vt mediante lumine aëris, vt virtute agendi, vehementius Sol calefaciat speculum distans, vel aliam rem similem, quam aërem propinquum, ob maiorem passivam capacitatem & dispositionem: & in hoc non video repugnantiam. Sicut enim potest causa agens per virtutem diffusam aliquem effectum habere in remotum, quem non habet in propinquum, vt omnes concedunt, & signatim Diuus Thomas in secunda distinct. 15. quæst. 1. artic. ad sextum, & Comment. 9. Physic. & lib. 2. de celo, com. 34. ita maiori ratione potest intensus alterare partem remotam, quam propinquam. Alio denique modo intelligi potest, hoc fieri per qualitatem eiusdem rationis, vt v. g. quod Sol per aërem remissus illuminatum, intensius illuminet speculum distans, ita vt lumen aëris medij, etiam si sit in se remissius, vt coniunctum primo agenti concurrat siue instrumentally, siue partialiter, ad lumen in speculo efficiendum, etiam quoad maiorem gradum intensificationis. Et hic modus est difficilior creditu, quia supponit qualitatem remissam, saltem vt coniunctam priori agenti, posse concurrere ad intensificationem qualitatis eiusdem speciei, in eo gradu, in quo illi est dissimilis, & ab illa exceditur: quod an possit accidere, examinabimus scet. seq. vbi plura dicemus de illo exemplo speculi, de eiusque actione reflexa.

Cur agens per lineam rectam efficacius operetur.

Ad experientias alias, quæ in confirmationem illius secundæ argumenti afferuntur, respondeo, satis probabiliter persuadere secundam partem ultimæ assertionis. Nec mihi occurrit aliqua alia probabilis responsio aut evasio: non enim video, cur præsentia Solis per lineam rectam respectu huius partis aëris remoti conducat ad maiorem illuminationem eius, nisi quia ipse Sol cum aëre sibi propinquiori simul in illam influat, in aliam vero partem aëris non ita

ita è regione propoſita, ſed ad latus verbi gratia, ſe-
neſtra, non poſt ita influere, etiamſi reſpectu ipſius
medij illa pars ſit æque propinqua. Dicit fortaſſe ali-
quis, lumen receptum in medio agere in virtute So-
lis in alteram partem aeris per lineam rectam obie-
ctam Soli, in aliam vero cadentem ad latus ſolum a-
gere virtute propria: & ideo magis illuminare illam
partem, quam hanc. Sed hoc & mere gratis, ac volu-
tarie dictum eſt, & intelligi non poſt, quæ res ſub-
ſtit illis vocibus, neque in quo conſiſtât illud diſcri-
men, ſi Sol ipſe in neutram illarum partem per ſe
actualiter influit. Nam, hoc ſuppoſito, quid eſt a-
gere in virtute alterius, niſi agere vt virtutem diſfuſam
ab illo, & vicem eius habentem? ſed illa virtus rece-
pta in medio eſt vna & eadem: ergo reſpectu cuiuſ-
cunque partis medij agit vt virtus diſfuſa à Sole, &
vice illius: ergo æque agit in virtute Solis. Neque
explicari poſt, quid conferat illa ſituaſis poſitio (vt
ita dicam) vel præſentia Solis, vt ob eam cauſam di-
catur agere in virtute Solis in vnam partem, & non
in aliam, ſi ratione illius applicationis Sol ipſe per ſe
non magis influit.

XXXIII. Quod tandem ſic confirmo ac declaro, nam quan-
do accidens agit in virtute alterius abſq. actuali in-
fluxu eius, ſi tale accidens conferetur ſine alio in
cuius virtute agere dicitur, eandem poſt habere a-
ctionem. Hoc patet in grauitate, vel impetu mouen-
te in virtute generantis vel imprimantis: & idem eſt
de calore aquæ, ſi calor dicatur caleſcere in virtute
ignis: imo & qui aiunt calorem ſummum efficere
diſto modo formam ignis in virtute ignis ſine alio
actuali influxu eius, conſequenter aiunt calorem ſe-
paratum æque ac coniunctum igni, poſſe in virtute
ignis efficere formam alterius ignis. Itaque in præ-
ſenti, ſi lumen receptum in parte aeris viciniſſi Soli,
efficit diſto modo lumen in alia parte in virtute
Solis: ergo ſi illud lumen coſeruarietur in vna parte,
ablato Sole de medio, eodem modo illuminaret ean-
dem partem, quam nunc illuminat. Conſequent
autem eſt plane falſum, tum quia alias etiam nunc
æque illuminaret partem aeris ſibi vicinam non ob-
iectam Soli: quia non magis, neque ita abeſt nunc Sol
ab illa parte, quam abeſt ab alia, ſi omnino tollere-
tur: tum etiam, quia in igne & calore experimento
conſtat oppoſitum, vt in eadem confirmatione, quã
tractamus, propoſitum eſt. Igitur neceſſario dicen-
dum videtur. Solem actu influere cum parte proxi-
ma medij ad illuminandam aliam directe ſibi obie-
ctam, non vero æque poſſe influere in aliam partem
à latere exiſtentem, etiam ſi ipſi aeri medio æque, p-
pinqua ſit: & inde provenire, vt illæ partes non æque
illuminentur vel caleſcant.

De actione magnetis, & ſimilibus.

XXXIV. N tertio argumento de motu locali prima ac præ-
cipua experientia eſt de magnete: de quo, ſicut de
multis aliis experimentis quæ hic tractamus, multa
erudite congerunt Coninbricenſes libro ſeprimo
Phyſicorum, capitulo ſecundo, quæſtione prima.
Breuiter tamen, quantum ad rem præſentem ſpe-
ctat, admittimus tractationem illam fieri effectiue à
magnete. Alexand. enim libro ſecundo, quæſtion.
naturalium, cap. 3. exiſtimauit, ferrum non trahi à
magnete niſi vt à hne, ipſumque interna & innata
virtute quali naturali pondere, ſe mouere ad ma-
gnetem. Hoc tamen reiiciunt Albertus 2. Metaphyſ.
tract. 3. capic. 6. D. Tomas. 7. Phyſ. lect. 3. text. 10. &
Galenus libro tertio de facultatibus naturalibus, ca-
pit. Vltimo. Primo, quia modus naturalis à virtute in-
trinſeca, quacunque diſtancia ſit, vt in terra & igne
patet: ferrum autem non tendit ad magnetem ex
quacunque diſtancia, ſed ex certa ac definita: non er-
go ipſum tendit, ſed trahitur. Secundo, quia ferrum
non mouetur ad magnetem, niſi in debita propor-

tionem quantitatis exiſtant, moles enim ferri non tra-
hetur à paruo magnete: ergo id eſt proprie actione,
quæ non ſequitur à proportionem minoris inæquali-
tatis. Tertio, quia dicitur experientia coſtare, ſi ma-
gnes perigatur ſanguine hirci, aut ſucco alij, aut ce-
pæ, non poſſe attrahere ferrum: ergo id eſt, quia vir-
tus eius attractiua inde debilitatur.

Addendum ſubinde eſt, magnetem imprimere
ferro aliquam qualitatem motiuam, qua illud ad ſe
trahat. Ita docent omnes authores, nam ſicut proie-
ctio ſit per qualitatem impreſſam, ita & tractio: eſt
tamen differētia, quia impuſus imprimitur per im-
mediatum contactum quantitatum, non vero hæc
qualitas attractiua: & ratio eſt, quia inſtitutz ſunt à
natura ad contrarios effectus. Nam per impuſum
ſeparatur mobile à mouente, quod illud tangit: per
tractionem vero trahitur mobile verſus motorem,
vel etiam donec contingat illum. Præterea, talis eſt
hæc attractio magnetis, vt non ſolum per ſe ferrum
ad ſe trahat, ſed etiam ipſi ferro participatione eius
virtutis communicet, nam ferrum attractum, aliud
ferrum ad ſe trahit, & illud attrahit aliud, vt quali
catena ex eis conſiciatur: quemadmodum Auguſti-
nus refert 21. de ciuit. cap. 4. & nos etiam aliquando
experti ſumus: hoc ergo eſt ſignum apertum, im-
primere magnetem ferro qualitatem, quæ & vim habet
mouendi ipſum ferrum, & efficiendi aliam ſimilem,
qua ferrum ad ſe trahat.

Vltimo addendum eſt, vt argumento propoſito
reſpōdeamus, magnetem non imprimere eam qua-
litatem ferro niſi per medium, alterando ſcilicet il-
lud vſque ad ferrum: quamuis enim hæc alteratio
medij ſenſibili experimento non percipiatur, tamē,
cum facile fieri poſſit, ex aliis experimentis & ratio-
nibus colligimus, in illa etiã alteratione ſeruari na-
turalem modum agendi efficientis cauſæ. Neque
enim obſtat, quod medium ipſum non trahatur ad
magnetem: quia neceſſe non eſt, vt qualitas diſfuſa
per medium eūdem effectum habeat in medio, quæ
habet in diſtanti paſſo: ſicut in ſuperioribus dictum
eſt, ob diuerſam paſſi diſpoſitionem accidere, vt vir-
tus diſfuſa per medium efficiat in diſtans corpus no-
uam qualitatem, aut qualitatis intenſionem, quam
non facit in ipſum medium. Sic ergo accidere poſt
in præſenti, vel vt qualitas diſfuſa per medium nō ſit
eiufdem rationis cum ea quæ imprimitur ipſi ferro,
vel certe quod licet ſit in ſe eiufdem ſpeciei, non ha-
bet eundem effectum trahēdi, in medio, quem ha-
bet in ferro propter peculiarem proportionem, aut
diſpoſitionem ferri.

Solum poſt obſtare alia experientia, qua conſtat
magnetem immutare ferrum, etiã interpoſito me-
dio denſo, vt experimento etiam percipitur, & Au-
guſtinus ſupra refert, dicens, poſito ferro ſuper ar-
gentum, & magnete ſubtus, moueri ferrum ad mo-
tum magnetis, concitatiſſimo curſu ac reſuſu, prout ma-
gnes ab aliquo agitur, argento (inquit) medio nihil pati-
ente. Neque enim videtur veriſimile poſſe magnetem
tam denſum medium totū alterare & penetrare. Sed
nihilominus, cum Auguſtinus ait, argento nihil pati-
ente, plane intelligit de ſaſione illa ſenſibili, qualis
erat motio & concitatio ferri: de alteratione autē in-
uiſibili, Auguſtinus ibi nihil diſputat. Neque eſt adeo
difficile creditu, quod magnes penetraret corpus illud
intermedium ſua alteratione, vel quia poroſum eſt,
vt eſt lignum: vel quia paruam habet profunditatē
quale fortaſſe erat argentum illud cuius meminit
Auguſtinus: ſicut etiam influentiæ coeleſtes pene-
trant corpora etiam denſiſſima & in magna diſtan-
tia propter magnam vim agendi. Hæc enim vis ma-
gnetis exiſtimatur eſſe quædam participatio coele-
ſtis proprietatis, vt dicit Diuus Thomas quæſt. 5. de
verit. art. 10. ad quintum, quæſt. vnica de anima, art.
1. Forte etiam contingere poſt, vt illa actio licet
non penetraret totum corpus denſum, interuentu
circum-

XXXV.

XXXVI.

XXXVII.

circumfusi aeris, continue pertineat usque ad ferrum: Atque ad eundem modum iudicandum est de succino eleuante paleas, & idem est de argento viuo trahente particulas auri, & de quacunque alia re simili, vel medicinali radice aut herba, quæ vim habet trahendi aliquid, aut etiam expellendi.

XXXVII.
Remora
qui nauem
retardat.

Quod vero spectat ad retentionem Echeneidis, quamuis alioqui ille sit mirabilis naturæ effectus: est difficilimum explicatu, quia virtute possit tam paruum animal, tam vehementem molem retardare: tamen in presenti nihil infert difficultatis, nam Plinius expresse ait, id facere nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo, quam adherendo: non ergo quidquam agit in distans. Quid vero imprimat naui ad detinendam illam, tractat late Scaliger contra Cardanum exercit. 218. & contra eum Comimbriensis supra art. 5. Ego vero cenfeo rem esse occultissimam, quæ necessario reducenda est in aliquam virtutem superioris rationis, quæ vim habeat talem ac tantam ad resistendum illi impulsui nauis, ut ab eo debilitari non possit. An vero id fiat ab hoc animali imprimendo aliquam qualitatē nauis debilitatē vim illius imperus: vel solum adherendo per virtutem sibi innatam, sicut homo detinet lapidem proportionatū ne cadat: vel denique, an hic piscis vim talem habeat sistendi se ipsum, & quasi adherendi loco suo, ut etiam ab impellente nauim rapi aut dimoueri non possit, mihi incertum est. Quocunque tamen horum modo eueniat, non dubium est, quin ex virtute mirabili & occulta proueniat, adiuuante fortasse speciali aliqua & connaturali influentia celestis. Imo addit Ambrosius lib. 5. Hexamer. cap. 10. ad finem, imitatus Basilium homil. 7. Hexameron. ex munere & potentia creatoris tam paruum animal tantam accepisse virtutem.

De actione phantasia, & similibus.

XXXIX.

IN quarta difficultate soluenda laborant, qui existimant notitiam existentem in phantasia effectiue concurrere proprio influxu Phifico ad actum appetitus. Vnde quidam vtramque potentiam vel in cerebro, vel in corde collocant, ut vicinæ sint & inter se agere possint, cum tamen verior doctrina habeat, phantasia in cerebro & appetitum in corde esse, ut alibi latius ostendendum est. Alii nescio quas qualitates dicunt diffundi à cerebro, medio actu phantasiae usque ad cor, ut immutent appetitum. Sed hoc figmento simile est: quia illæ qualitates nec sunt species obiecti, aut ipsiusmet actus phantasiae: essent enim inutiles, cum appetitus non possit speciebus uti: nec possunt esse qualitates aliquæ, quali deferentes ad potentiā appetitiuam notitiam obiecti quæ est in phantasia: quia potentia ipsa appetitiua nunquam percipit illam notitiam: neque notitia vnius potentia potest aliter manifestari, aut formaliter aut obiectiue, nisi mediāte alia specie aut notitia sui. Alii denique conuicti argumento fatentur notitiam existentem in cerebro immediata actione influere per propriam efficientiam in appetitum. Neque putant id esse inconueniens, eo quod illæ duæ facultates in eadem anima coniungantur, quæ est principium principalis actionis: nam sicut virtus principalis potest cooperari suæ virtuti instrumentali, etiam usque ad locum distantem diffusa sit, ita & contrariō virtus aliqua instrumentalis poterit cooperari virtuti principali, etiam in loco distanti, si usque ad illum virtus ipsa principalis diffusa sit, dum modo in illa etiam parte, ubi sit actio, sit aliud instrumentum magis proprium & proportionatum tali actioni. Quæ responsio, supposito illo primo fundamento, est inter reliquas minus improbabilis, & de instrumentis diuinis adhiberi solet quod attingere possint immediate ad distans, quia virtus principalis ibi adest. Absolute tamen (quidquid sit

de miraculosis actionibus) non satisfacit, quia iam admittitur efficiētia ab aliqua forma, aut qualitate seu actu, quæ transiit ad distans quasi per saltū absque continua actione per medium.

Et ideo nos facilius has angustias euademus, negando notitiam concurrere actiue ad actum appetitus, sed tantum ut conditionem repræsentantem obiectum, quæ posita, appetitus efficit suum actum per naturalem sympathiam harum potentiarum. Et ad hoc optime cōfert radicatio illarum facultatum in eadem anima: illa enim, seu suppositum per illam est, quod principaliter operatur, & vitur his facultatibus: & ideo, dum per vnam percipit obiectum sibi conueniens, per aliam illud appetit: non quidem quia per vnam efficiat in aliam, sed quia ex obiecto per vnam apprehenso excitatur ad operandum per aliam quæ excitatio non est per immutationem realem & effectiuam, sed per Metaphoricam seu finalem & ideo non requirit localem propinquitatem: sed animalem, ut sic dicam. Atque idem proportionaliter dicendum est de appetitu, & potentia motiua: quanquam enim dici posset, omnem motionem inchoari ex corde, & mediis spiritibus ac nervis procedere usque ad partem, in qua exercetur, vel apparere motus, tamē, quod ad presens attinet, applicatio potentia motiua per appetitum non est per actionē propriam & Phificam vnius potentia in aliam, sed per subordinationem potentiarum in eadem anima: quo modo etiam intellectus & sensus applicatur ad operandum per voluntatem & appetitum, de quo latius Philosophi in libris de Anima & Theologi in 1. 2. De efficientia vero specierum sensibilibus in sensibus internis, mediis externis, alia est ratio, & longe diuersa, nam hic reuera propria efficiētia interuenit, quæ per medium fieri debet, ut ab oculo dicuntur species visibiles tendere usque ad sensum commune per nērum opticum: hæc enim actio talis specierum non est proprie vitalis, aut immanens, sed est proueniens ab extrinseco: mediis illis instrumentis, & ideo per medium proprie diffunditur, sicut alia actiones naturales.

De actione rei spiritalis in corpus.

HActenus dictum est de agentibus & patientibus corporalibus inter se; in quinto vero argumēto agitur de actione rerum spiritalium in corpora, & inter se. Et quoad priorem partem de actione spirituum in corpora, consequenter loquendo dicendum est, necessariam esse immediatam propinquitatem intelligentia ad corpus, ut illud possit mouere localiter: suppono spiritum creatum nullam alia actionem posse in corpus exercere, quod infra ostendam, de intelligentiis disputando. Vnde, si angelus ad mouendum corpus potest imprimere impetum, medio alio corpore, quod non localiter moueat, sic quidem ad mouendum localiter aliquod corpus, sufficit illi adesse immedatione virtutis: necessarium tamen erit, ut immedatione suppositi sit presens illi corpori, in quo primo incepit illam virtutem imprimere. Si tamen (quod probabilius cenfeo) non potest angelus illam virtutem imprimere per intermedia corpora non mota, necessarium erit, ut angelus mouens proxime ad sit immedatione suppositi ei corpori, quod immedate mouet. Et hoc modo aiunt Philosophi vnamquamque intelligentiā mouentem cælum, adesse ei orbi quem mouet. Sic etiam Theologi dicunt angelos suppositaliter adesse illis corporibus, quæ assument, & in quibus apparent. Et quoties Scriptura dicit angelum mouere, vel deferre aliquem hominem, significat ibi angelum substantialiter adesse, aut cum re, quam mouet, moueri. Quod non esset necessarium, nisi oporteret angelum adesse, ubi mouet. Atque hoc plane supponit D. Thom.

D. Thom. 1. part. quæst. 52. & 53. & 55. artic. 2. ad 3. & quæst. 113. artic. 6. ad 3. & clarius in locis infra citandis.

Neque obstat, quod res spiritualis non habeat situm: habet enim substantialem & realem præsentiam definitam, secundum quam necesse est passo cōiungi, quando agit in illud. Nec modo disputo, an operatio sit ratio illius præsentia, quod Theologi aliqui asserere videntur: vel è conuerso, an præsentia illa secundum se sit prior, vel etiam independens ab operatione, quod plures affirmant, & mihi probabilius videtur: sed alitero, ad operationem necessariam esse præsentiam substantialem, quam fortasse vocant tactum spirituale ad corpus, D. Thom. quæst. 6. de potentia, artic. 7. ad 12. Et apertius quæst. 16. de malo, artic. 1. ad 15. dicit, quod angelus non agit immediate in aliquod corpus à se distans, & assert. Damascen. 2. centem. Angelus ubi est, ibi operatur. Qui videndus est libr. 1. de Fide, capit. 16. & 17. & libr. 3. cap. 2.

Neque etiam obstat, quod angelus moueat per intellectum & voluntatem, quia, ut inferius suo loco dicam non mouet per has potentias vt proxime elicientes motum, sed dirigendo & applicando potentiam exequentem, quam oportet esse coniunctam passo. Quam responcionem insinuat D. Thom. loco nuper citato de potentia: cum enim obieisset in argumentum 12. mouens & motum debere esse simul: angelum autem non esse simul cum corpore, ex eo quod velit illud moueri, respondet: Imperium angeli requirit executionem virtutis: vnde oportet quod sit quidam tactus spiritualis ad corpus, quod mouet: & quodlib. 6. artic. 2. ad 2. quod erat simile, respondet: actionem angeli radicari in essentia eius, à qua procedit virtus & operatio: & ideo necessarium esse substantiam eius aliquantulum coniungi rebus quas mouet, quia mouens & motum debent esse simul. Et declaratur præterea quia si efficacia in mouendo pensanda esset ex modo, quo voluntas attingit suum obiectum, sicut voluntas angeli indifferenter velle potest propinquum & distans quantumvis: ita eadem efficacia posset, mouere corpus propinquum, & distans quacunque distantia: consequens autem est plane absurdum, quia, cum virtutem habeat finitam, non est verisimile posse æque operari in rem quantumcunque distantem, sed habere terminum in sphaera actiuitatis suæ. Sicut ergo aliter comparatur potentia motiua ad subiectum, quam voluntas ad obiectum, ita etiam in absoluta conditione propinquitatis & distantia: potentia enim mouens agit realiter & transeuntem in subiectum quod mouet, & ideo oportet vt sit realiter in distans ab illo; secus vero est de voluntate vt versatur circa obiectum, in quod realiter non agit, neque ipsum immutat.

De actione spirituum inter se.

XLIV. Altera pars illius argumenti erat de actione vnus angeli in alium, vel in animam separatam, quæ actio etiam esse potest aut locutio, aut motio localis. De hac eadem est ratio quæ de motione corporis: nec video rationem differentia quæ assignari possit. Vnde D. Thom. in loco proxime citato generaliter ait, substantiam angeli debere coniungi rebus quas mouet: non enim dixit corporibus, sed rebus, vt indicaret doctrinam esse generalem. Suppono autem sermonem esse, quando vnus angelus mouet alium verè ac physice efficiendo in illo motum, nam si tantum moueat moraliter per imperium, illam tantum requirit præsentiam quæ ad imperium sufficit, de quo eadem est ratio quæ de locutione, nam imperium locutione fit.

XLV. De locutione autem vnus angeli ad alium non possumus hic ex professo dicere, nam est res Theologica, & ad explicandum difficilis: in genere tamen

loquendo, altero è duobus modis in illa procedi potest. Vnus est angelum loquentem nihil agere in eum cui loquitur: & sic facilis est in præsentia responcio, quia is angelus cui alius loquitur, non comparatur ad illum, vt subiectum vel passum ad agens, sed tantum vt obiectum ad actum immanentem, & ideo mirum non est, quod locutio possit esse immediate ad angelum quantumcunque distans. Iuxta hunc autem dicendi modum ad argumentum factum respondendum est, locutionem vnus, & excitationem alterius non fieri per actionem transeuntem ab vno in alium, sed quali per quandam sympathiam naturalem; quia dum vnus angelus vult vt alius percipiat suum actum, vel conceptum, statim alter vititur specie, quam habeat illius actus conceptus, vt attendat loquenti. Nec video, quo alio modo possit illa sententia explicari: statim vero inde apparet quanta in ea sit difficultas, quod nimirum facultates radicate in diuersis essentis vel substantiis habeant inter se naturalem sympathiam & connexionem, ac concomitantiam in agendo, non casualem, sed infallibilem, ac per se, sine actione vnus in alium. Cui difficultati accedit alia, si angelus habet innatas species actuum alterius, cur non possit illos intueri statim ac siunt vel ita, etiam si alius ipsum non excitet & quasi applicet per ordinationem seu voluntatem suam. Rursus accedit difficultas de illuminatione quæ vnus angelus non solum loquitur, sed etiam docet alium: ad quam, etiam si illa sympathia admittatur, non videatur sufficere. Tandem quidquid sit de locutione in rigore sumpta, extendi potest difficultas ad omnem actionem speciei intelligibilis: est enim probabile vnum angelum quatenus est obiectum actui intelligibile, posse quantum est de se imprimere speciem sui vel suorum actuum in alium angelum, si tali specie careat. Et quidquid sit de angelis inter se, respectu animæ quæ separatur à corpore, id est magis receptum, posita ergo tali actione manet integra difficultas, si illa non impeditur per distantiam.

Alter ergo dicendi modus esse potest, admitendo aliquam actionem intellectualem vnus spiritus in alium per realem effectiorem alicuius speciei intelligibilis, vel alicuius intentionis, aut modificationis eius. Qua supposita, potest adhuc dupliciter responderi ad difficultatem tactam. Primo excipiendo hanc actionem à generali regula tradita. Quem modum insinuat D. Thomas in citata quæst. de anima, & in quodlib. 6. artic. 10. Et rationem vtroque loco significat, quia idem est in angelis ordo, quod in corporibus sitis: & ideo actio pure intellectualis non pendet ex situ aut medio, sed ex ordine naturæ. Et in 1. part. quæst. 107. artic. 4. addit, operationem intellectus abstrahere à loco & tempore: & ideo locutionem quæ per illam fit, non impedi ob distantiam. Et potest hoc confirmari, nam incredibile videtur non posse vnum angelum loqui ad alium, nisi sint distantes supposito & substantia, nam per medium non potest deferri illa actio. Hæc vero sententia reuera videtur parum consequens ad omnia dicta, quia valde eneruat principium positum, totamque rationem eius. Item quamuis in angelis non sit situs, est tamen præsentia substantialis: ergo differentia assignata nulla est ad excludendam necessitatem huius præsentia ad distans actionem: aliàs neque esset necessaria in distantia inter angelos, vt vnus localiter moueret, vel derineret alium. Item iuxta illam rationem, Deus ex vi actionis quæ creat vel illuminat angelum, non esset intime præsens in illo per essentiam, sed solum ratione immensitatis: quod est contra D. Thomam, & veriorum doctrinam, vt infra videbimus. Sequela patet, quia etiam Deus agit in angelum, vt spiritus in spiritum: ergo est eadem ratio de illo. Erit ergo propter hæc probabilis vltimus dicendi modus, quod ad

LXVI.

ad hanc etiam actionem, & ad locutionem angelicam, si aliam actionem requirit, necessaria sit instantia. Inter quas sententias aliis relinquo iudicium quæ simpliciter probabilior sit: solum assero hanc tertiam esse magis consequentem ad rem quâ nunc tractamus, nisi eligatur prima, cuius difficultatibus satisfacere difficillimum est.

De sphaera actiuitatis.

LXVII. **V**ltima difficultas proposita in sexto argumento facillime soluitur ex secunda & tertia parte vltimæ assertionis, quas probabiliter suadet, & contra superiores assertiones nihil probat. Quamuis enim demus habere vnumquodque agens naturalem sphaeram actiuitatis certæ magnitudinis, in quâ possit per se & pro virtute, actioneque agere, non sequitur posse immediate agere in partem remotam illius sphaeræ, non agendo in propinquam, quia non potest agere, nisi continuata actione, inchoando illam à passo sibi propinquo, & indistante, & continue diffundendo illam per totam sphaeram: hunc enim modum agendi determinat sibi quæcunque causa efficiens. Neque est inconueniens quod causæ omnes, etiam si sint virtute inæquales, & que determinant sibi hanc passi propinquitatem, quia hoc non prouenit solum ex limitatione vel imperfectiōne virtutis, sed ex natura huius causalitatis: limitatio autem sphaeræ prouenit ex limitatione virtutis, & ita iuxta inæqualitatem virtutis erit etiam inæqualis sphaera, sic terea paria sint. Recte autem videtur probare argumentum illud, non limitari agentia naturalia ad agendum per se, & per suam propriam virtutem in solam superficiem vltimam corporis sibi contingui, sed intra aliquod certum spacium, quod possunt sua virtute attingere, etiam si per possibile vel impossibile vna pars medii non agat in aliam: quod in vltima conclusione asserimus.

LXVIII. Non probat autem argumentum illud (quamuis ad hoc etiam tendere videatur) esse impossibile illum modum agendi per partem propinquam in remotam per totum spacium, ita ut quantumvis per partes proportionales diuidamus partem remotam à propinqua, imo & superficiem proximam à reliqua magnitudine, semper possit effectus actiue procedere ad remotum per propinquum, quia in hoc modo agendi nulla inuoluitur repugnantia: quia qualitas recepta in medio, aut in qualibet parte medii, vel in superficie, potest esse actiua, & passum est etiam aptum ad recipiendam talem qualitatem, & pars remota est in debita proportionem respectu propinquiore, ut ab illa pati possit; quia actio procedit vniuformenter difformiter à principio sphaeræ vsq; ad finem: ergo concurrere possunt omnia necessaria, ut actio semper fiat per propinquum in remotum. Neque enim obstat potest infinitas partium proportionalium, quia similis infinitas est in successione actionis. Non ergo asserimus hunc modum esse impossibilem, sed asserimus in primis non esse necessarium, ut omne agens requirat propinquitatem & indistantiam passi in quod primo agit. Neque etiam sufficere ad definiendam sphaeram actiuitatis agentis, per se, & ex vi quantitatis ac limitationis virtutis eius. Asserimus deinde, etiam quando actio illo modo procedit per partem propinquam in remotam, non ita fieri ab vna parte in aliam, quin agens simul & actualiter cum omnibus agat intra sphaeram suam actiuitatis: & ideo efficacior sit actio in partem remotam per propinquam, quam si sola pars propinqua per virtutem in se receptam ageret in remotam.

Et verumque horum assertum est in vltima conclusione, & videtur sufficienter probari ex omnibus dictis & contentis in illa vltima difficultate.

SECTIO IX.

Utrum causa efficiens ad agendum requirat passum sibi dissimile & in quo propinque.

Ratio difficultatis primo sumi potest ex dictis sectione quarta, ubi ostensum est interdum agens agere in se ipsum etiam secundum eandem partem; non tamen potest autem idem sibi esse dissimile secundum eandem partem: ergo non est necesse ut semper passum sit agenti dissimile. Dicitur fortasse, quando aliquid in se agit, semper operari per virtutem alterius rationis à forma quâ in se agit, & ita in principio actionis esse sibi dissimile, quatenus non habet formaliter illam formam, sed tantum virtualiter.

Sed contra hoc argumentor secundo, nam interdum aliquid agit in seipsum etiam per eandem qualitatem formaliter: calor enim vel frigus alicuius corporis, quando circumdatur ab agente contrario solet seipsum intendere, & quasi fortificare ad resistendum, vel debellandum aliud, ut patet in calore ventriculi, qui hac ratione tempore hyemis fortior est, ut experientia ostendit, & testatur Hippocrates aphorismo 15. Idem patet in aere existente in cavernis vel locis infimis, qui tempore hyemis calidior est. Nec potest hoc tribui extrinseco agenti, cum illud contrarium sit, & non possit qualitatem sibi oppositam intendere. Neque etiam potest tribui diminutioni naturali ab intrinseca forma, cum quia hæc ex se semper est maxima quæ esse potest, cum sit mere naturalis; neque est cur augeatur propter circumstantiam contrariam, imo inde potius deberet impediri tum etiam quia non solum in naturali, sed etiam in præternaturali subiecto inuenitur ille modus actionis, nam etiam aqua in puteis calidior sit tempore hyemis.

Tertio est simile argumentum, quia interdum vna res agit in aliam sibi similem in qualitate & intentione, etiam si actio per eandem qualitatem fiat. Assumptum patet communi exemplo de ferro, quod licet in se non habeat summum calorem, sed vel, v. g. intendit similem calorem in palea vel stipula, ut illam comburat. Et ad eundem modum calor, & lumen medij intendi solet per reflexionem à calore vel lumine corporis extreme distantis, etiam si illud in se calidius vel lucidius non sit intensius, ut cum Sol directe calefaciat aerem & terram, calor aeris intenditur ex reflexione terre, & similiter intenditur lumen aeris ex reflexione speculi, &c. cum tamen nec calor in terra, nec lumen in speculo potuerit esse intensius, quam in aere ex actione Solis, cum magis distent à Sole quam aer.

Quarto si ob aliquam causam esset necessaria hæc dissimilitudo, maxime ut agens superet in virtute agendi passum: sed ob hanc causam non est necessaria, tum quia fieri potest ut aliunde proveniat illa superior virtus, nimirum ex maiori densitate, aut ex aliis conditionibus subiecti: tum maxime, quia non semper videtur necessarius ille excessus ex parte agentis, alioqui nunquam passum posset reagere in suum agens. Quia vel superatur ab illo in virtute vel non: si non superatur, & nihilominus ab illo patitur, iam in agente non requiritur excessus virtutis, si vero superatur & nihilominus in illud reagit: ergo ad reagendum non requiritur excessus virtutis at vero reactio vera ac propria actio est, & causalitas effectiua: ergo ad hanc non semper est necessarius excessus virtutis: ergo nec dissimilitudo in forma seu ratione agendi. Tandem fieri potest ut actio sit coæua agenti, ut illuminatio Soli: nunc autem nuncquid intercedit dissimilitudo inter agens & patiens, quia semper fuerunt similia.

Notatio